


# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



C.DEL VECCHIO.



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Ann. VII.

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...  
Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arezzo - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Como - Cortona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciano Marina - Merano - Messina - Milano - Mondovi - Montesampietraneli - Napoli - Nocera Inferiore - Norcia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Roma - Salerno - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona - Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashn, Fayoum, Kafir El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegyptu - Malta in insula Melita - Aleppo, Alessandretta, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

*Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.*

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae  
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ  
lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegu-  
mento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones drama-  
ticas. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

Premium annuae su  
doll. 2,40; sh. 1  
rem, Romam, 1

LATI

SOLLE

Aurelianam, Ga  
suprema nactam

dic ter beatar  
laetifico resor

Gaudete, campi  
innata queis est  
insigne, qua  
erigat ars pie

Tuque obsidentes  
Aurelia, hostes p  
pompa triumph  
perge diem m

Remensis et tu p  
regem, Ioanna te  
turbis, inunct  
impositam cap

Oblita nec tu viv  
Fautricis almae;  
quod ferre ga  
obsequium, fe

# ALMA ROMA

# LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (fr. 12; doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

# IOANNAE AB ARCU

## PUELLAE AURELIANENSI

## SOLLEMNI RITU INTER SANCTOS ADSCRIPTAE

POSTRIDIE IDUS MAIAS MCMXX

*Aurelianam, Gallia, Virginem,  
suprema nactam praemia caelitum,  
dic ter beatam; litus omne  
laetifico resonet canore.*

*Gaudete, campi vos Lotharingiae,  
innata queis est cara Puellula;  
insigne, qua cunae steterunt,  
erigat ars pietasque templum.*

*Tuque obsidente docta repellere,  
Aurelia, hostes praeside virgine,  
pompa triumphali quotannis  
perge diem memorare faustum.*

*Remensis et tu plebs, reminiscere  
regem, Ioanna teste et ovantibus  
turbis, inunctum, regioque  
impositam capiti coronam.*

*Oblita nec tu vive, Lutetia,  
Fautricis almae; quod Dionysio,  
quod ferre gaudes Genovae  
obsequium, fer idem Ioannae.*

*Mirare fortem, Gallia, feminam,  
dum vi phalanges dissipat hosticas;  
heroidem mirare, nullis  
compedibus domitam. nec igne.*

*Immersa flammis, ingeminat pie  
vitale Iesu nomen, et altius,  
quo iudices diuidicantur,  
invocat, emoriens, tribunal.*

*O sancta Martyr, candida victimam  
vis atque fraudis, certaque patriae  
Tutrix, ut olim sensit Anglus,  
utque recens, Alamannus, hostis:*

*Gallis adesto rebus in arduis;  
flagella, quaeso, debita sontibus  
averte, culpas eluantque  
ex animis lacrimae dolentum.*

*Heu! prisca passim languet in urbibus,  
languet per agros Franciadum Fides;  
deserta lugent templa, turbas  
lubrica pelliciunt theatra.*

*Sacra fac aestu pectora ferveant,  
regatque virtus tecta domestica;  
morata recte fac parentes  
et numerosa beet propago;  
Aulas scholarum rursus et atria  
praetoris ornet castraque militum  
Crux alma Christi, perque Francos  
gesta Dei niteant priora.  
O per Ioannae flammea funera,  
per Margaritae supplicis extases,  
Cor dulce Iesu, Chlodovae  
subde pia tibi lege regnum.*

FRANCISCUS XAV. REUSS.

## IOANNA DE ARC

Die xvi huius mensis Maii mcmxx  
sanctorum caelitum honores a Summo  
Pontifice decernentur Ioannae de Arc,  
Aurelianensis puellae cognomine insigni;  
piissimae scilicet viragini illi, de qua lati-  
nus poëta fere ei aequalis merito scripsit:

*Quis crederet ullam  
Talia sub caelo miracula posse Puellam?  
Venit lege Dei fixus certissimus ordo  
Temporis optati.*

Cuius de virtute et rebus gestis quum  
dicere in commentario nostro vellemus,  
haud melius id perficere posse arbitrati-  
sumus, quam ut orationem referremus, a  
clarissimo viro Virginio Iacoucci, Sacrae  
Consistorialis Aulae advocate, in publico  
consistorio habitam die xxii elapsi mensis  
Aprilis, ad Beatae ipsius canonizationem  
perorandam; dum eidem humanissimo  
viro quod eam in *Alma Roma* vulgo eden-

<sup>1</sup> Cfr. documenta de Ioanna de Arc a JULIO QUI-  
CHERAT collecta typisque edita ab an. 1841 ad 1849,  
vol. V, pag. 28.

dam tradiderit, amplissimas gratias ha-  
bemus.

Oratio igitur sicut sequitur:

*Beatissime Pater,*

Nihil mihi poterat accidere gratius,  
nihil honorificentius quam deligi, ratione  
officii, ad perorandam apud Sanctitatem  
Tuam pro Beata Ioanna de Arc canoniza-  
tionis causam, idque non solum propter  
singularem huius innocentissimae Puellae  
sanctimoniam et fortitudinem, sed etiam  
quia prospera istius causae initia sunt quo-  
dammodo domestica Collegii nostri laus,  
utpote quae debentur singulari studio et  
summis vigiliis Hilarii Alibrandii, Sacri  
Consistorii Advocati.

Verum si omnia, quae ad illustrandam  
hanc nobilissimam heroidem pertinent, re-  
ferre vellemus, quum tot ea sint, tam varia  
tamque admirabilia, ut nisi historica fide  
constarent, vix credi possent, citius me  
dies quam oratio deficeret, et Sanctitatem  
Tuam longiore quam par est, et Instituti  
ratio patitur, morarer sermone.

Igitur, summa rerum vestigia recol-  
mus, qualia ex actis et causae documentis  
habemus.

Aurelianensis Puella in pago Domre-  
mensi prope Valliscolorem, ad Campaniae  
et Lotharingiae fines, edita est octavo idus  
Ianuarias anno millesimo quadringente-  
simu duodecimo ex piissimis parentibus  
in humili fortuna constitutis.

Adolescentula domesticis curis intenta,  
saepe etiam paterno custodiendo gregi  
adhibita, orationi plurimum vacans, singu-  
lari in proximos caritate, praesertim erga  
aegrotos et afflictos, flagrabat, tanta occur-  
rens aliorum necessitatibus liberalitate, ut  
aliquando suo se lecto privaret, ne fessis  
itinere requiescendi copia deesset. Hoc  
vitae genus retinuit usque ad annum aeta-  
tis suaec decimum octavum, quo tempore  
Galliae res admodum afflictæ erant, val-  
deque in præcipiti, et Carolus VII, avito

regno exturbatus, vix regium retinebat  
nomen, appellatus ab hostibus per derisum  
*Rex Bituricensis*. Iamque Aurelianorum  
ad moenia totius impetus belli constiterat,  
eamque urbem Angli sperabant ianuam  
fore, qua effracta et revulsa, tota sibi ad  
victoram Gallia pateret.

In hac tanta patriae suaे calamitate,  
quum iam vel acerrimos et peritissimos  
Duces animus consiliumque deficeret, in  
Beata Ioanna totius Galliae salus constituit.

Huic ante annos quatuor obiecta per  
quietem fuerat Michaelis Archangeli spe-  
cies cum caelestium aligerum ingenti mul-  
titudine, voxque audita Principis aethereae  
militiae præcipientis ut Aureliam ad ur-  
bem properaret, duceretque Carolum Re-  
gem Rhemis consecrandum.

Obstupuit primo Puella, sed, iteratis diu  
visis ac vocibus, adiectisque deinde cae-  
lesti Duci sanctis virginibus Catharina et  
Margarita, divinis monitis audientem se  
præbuit, suamque Deo virginitatem quasi  
oboedientiae pignus devotit. Ab avunculo  
quum impetrasset ut Valliscolorem ad Ro-  
bertum de Baudricourt præfectum perdu-  
ceretur, hic primum risu excepit Puellæ  
consilia, et quamvis postea moveri coepis-  
set ab iis, quae Arcensis virgo illi aperue-  
rat, diem tamen ex die trahebat: sed Puella,  
omni abrupta mora, cum equis et militum  
comitatu armis indutam ad Regem se duci  
iussit, quem quum convenisset, eique ad  
aures secreta quaedam revelasset, praeter  
ipsum nota nemini, facta illi potestate cum  
exercitu Aurelias profecta est. Urbem in-  
gressa, atque impetu terribili hostes inse-  
cuta, obsidionis opera singula deiecit, per-  
ruptisque munitionibus, vexillum sustulit  
suum. Pari prodigo aliis oppidis liberatis,  
nutantem Carolum impulit ut regia con-  
secratione Rhemis inungeretur.

His quae Deus illi mandaverat functa  
plus quam viriliter, iustitiae humanae in-  
dignam mercedem haud minori virtute  
constantiaque tulit. Capta enim in eru-

pione quadam a Burgundionibus, iniqua  
prodictione venumdata est Anglis animum  
expleturis nece Virginis crudelissima. Roth-  
magum delata, raptaque in ius, nullius  
fuit criminationis expers, excepta morum  
castitate.

Acta tandem per corruptissimos iudices  
causa, innocens virgo damnata est poena  
combustionis, quam constantissimo animo  
subiit.

Postquam, auctore Callisto III. P. M.,  
fama Beatae Dei Servae redintegrata fuit,  
mirum quantum in dies creverit rumor  
sanctitatis, ac prodigiorum, quibus Deus  
visus est illustrare velle demortuam. Qua  
de causa a viris ex omni gente, praesertim  
Gallica, præclarissimis admotae sunt pre-  
ces huic Apostolicae Sedi, ut caelitum ho-  
nores Arcensi Puellæ decernerentur. In-  
troductione causae signata, et apostolicis  
habitibus processibus, probatisque rite pri-  
mum virtutibus, dehinc miraculis, ad vir-  
ginis Arcensis beatificationem tuto procedi  
posse pronunciatum est, isque ritus so-  
lemni pompa, et ingenti hominum con-  
cursu, in basilica Vaticana de more cele-  
bratus est.

Vix autem peracta Beatificatione, novo-  
rum prodigiorum manare coepit fama,  
quorum ex numero binae sanationes, pro  
imperanda Beatae Ioannae canonizatione,  
fuere ab actoribus propositae, nempe:  
*instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Antoniae Mirandellae a morbo plan-  
tari perforante: et instantaneae perfe-  
ctaueque sanationis Theresiae Bellin a tu-  
bercolosi peritoneali ac pulmonari, nec  
non a laesione organica orificii mitralici.*  
De quibus Sanctitas Tua constare pronun-  
tiavit octavo idus Apriles anno millesimo  
nongentesimo decimonono, et insequentis  
Decreto edito pridie nonas Iulias eiusdem  
anni tuto procedi posse ad solemnam Bea-  
tæ Ioannae canonizationem edixit.

Quae quum ita sint, Beatissime Pater,  
a supremo sacrorum honorum fastigio,

quod fortissimae Arcensi Puellae a Te decerni vehementer flagitamus, complura in rem christianam redundabunt beneficia: et primo quidem debito apud omnes christifideles honestabitur cultu Aurelianensis Puellae sanctitas, omnesque fient certiores quam temere se gerant illi, qui admirabilem hanc virginem, ad humanae tantum opis facultatem, vitam eius, gestasque res dimicentes, omni divinae virtutis instinctu exuere se posse arbitrentur: et quam pueriliter commemorem exstissemus omni tempore complures virilis animi foeminas, planeque heroidas, veterum poëtarum carminibus et historicorum calamo celebratas. Re quidem vera, quae Aurelianensis Puella fuerit; quae peculiaris eiusdem vivendi, agendique ratio usque ad XVI aetatis annum; quae postmodum patrata per ipsam gloriosa et inaudita facinora, quibus inclinatae valde et afflictae in integrum restituae sunt Patriae sortes; qui funestissimus denique eiusdem interitus, quem iniuste a suis prodita, ab hostibus capta, caedi omnium teterimae tradita, sacra Eucharistia refecta, oculis in Christi crucem defixis, implorata, coram populo consertissimo, pro suae mortis auctoribus, venia, crepitantibus flammis absumpta est: ad haec sane omnia eorumque adjuncta tranquillum animum, et preuidicatae opinionis expertem, qui parumper attendat, facere procul dubio nequit quin christianam veri nominis heroidem agnoscere cogatur et revereri, sugerente vel ipso Ethnico Poëta solo rationis naturalis lumine:

*Non haec humanis optibus, non arte magistra  
Proveniunt....*

*Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittet.*

Huc accedit, Beatissime Pater, quod calumniae et mendacii arguentur, qui, Aurelianensis Puellae abusi historia, suspicionem et invidiam Ecclesiae Christi parabant, quasi ab ipsa fuerit innocentissima Virgo damnata, dum e contrario, quidquid

minor peccaverit Ecclesiae pastor, aliisque peccaverint sacro mancipati ministerio, id omne plene, cumulateque correctum emendatumque fuit a Supremo Ecclesiae Pastore, quodque longo maius praeclariusque est, spatio tricennio minori, invicta Puella pleno altarium honore per hanc Augustissimam Sedem decoratur.

Apparebit praeterea luculentissime quam falso Christiana sapientia, eiusque sectatores, praedicentur Patriae hostes atque inimici, et Reipublicae inutiles, ab iis praesertim, qui, patriae amorem ementiti, non alia negotia nisi sua gerunt super Civitatis et Religionis ruinis.

Postremo, Beatissime Pater, auctus Beatae Ioannae Arcensis honor non solum augebit decora gentis Gallorum, et nominis amplitudine, et rei militaris gloria nobilissimae, sed plenius Patriae suae, de qua optime merita est, antiquae Fidei robur impetrabit; Catholicae autem Ecclesiae, et huic Sanctae Sedi, cuius fuit studiosissima, impetrabit solamen ex reditu tot errantium filiorum.

Quibus de causis, Beatissime Pater, etiam atque etiam Sanctitatem Tuam oramus atque obsecramus, ut Beata Ioanna, quam fieri potest citissime, in Sanctorum Album referatur.



## DE SOLEMNIIS CANONIZATIONIS

Sollemnia in hunc Maium mensem indicta ad « canonizationem » Beatorum Gabrielis a Virgine Perdolente e Congregatione Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C., Mariae Margaritae Alacoque e Congregatione Monialium a Visitatione B. M. V. et Ioannae de Arc, Gallicae illius heroidis, nobis suadent ut earumdem caeremoniarum aliquam descriptionem in nostro commentario praebeamus, ita ut

qui iis interesse nequierint, earum splendorem menti aliquo modo sibi effingere possint.

« Canonizatio », - uti inter omnes constat et docet Benedictus PP. XIV,<sup>1</sup> - est Summi Pontificis ultimo-definitiva sententia, qua cultus in universa Ecclesia alicui servo Dei praecipitur, sive, prout vulgo dicitur, in Sanctorum numerum refertur. Quae quidem antequam proferatur, longissima atque minuta et peculiaris actorum series explenda est, quam vero prosequi non est hic locus. Satis sit dicere, edito decreto de tuto progressu ad canonizationem, non statim, sed post deliberationem Pontificis de illa peragenda, advocari ab eodem ad consilium et suffragium praestandum omnes in Urbe degentes Cardinales, Patriarchas, Episcopos, etiam titulares et Orientales, cum Ecclesia Romana communicantes. Invitantur praeterea per encyclicas litteras Episcopi intra centesimum ab Urbe lapidem.

Initium excipiendi suffragia desumitur a « consistorio secreto », in quod scilicet tantum Purpurati Patres conveniunt; cui succedit « consistorium publicum » ad quod per intimationem vocantur Cardinales, ac ceteri quos acciri sollempne est. Omnibus ad hoc patet aditus. Advocatus aliquis « consistorialis » vitam et miracula Servi Dei petitionesque pro canonizatione supplicantium in oratione exponit; qua absoluta, praesul qui est a secretis « brevium ad principes » respondet nomine Pontificis, hunc hortari omnes ut piis operibus ac precibus divinum implorent auxilium, ac praeterea velle in alio consistorio audire Cardinalium et Episcoporum mentem.

Quod ultimum consistorium dicitur « semipublicum », quia etiam Episcopi in eo facultatem habent ferendi in scriptis suffragium; et incipit ab allocutione Ponti-

<sup>1</sup> *De Serv. Dei Beatif. et Beatorum Canonizat.*, lib. I, c. X.

fici exquirentis sententias de canonizatione peragenda; post quam primi Cardinales, ac deinde Episcopi singuli suffragium praestant.<sup>1</sup> Hisce absolutis, Pontifex sese aliorum precibus commendat diemque canonizationis statuit; Procurator fisci Protonotarios Apostolicos orat ut publica instrumenta de sententiis Cardinalium, aliorumque, ac de Pontificis oratione et deliberatione confiant; Protonotariorum autem antiquissimus in testes vocat iuxta solium pontificium tunc stantes.

\*  
\*\*

Sollemnia canonizationis in basilica Vaticana aguntur, « Commissione » depulata, cuius consilio et iussu basilice ipsius splendidus ornatus et reliqua omnia disponuntur.

Constituta die et hora, Summus Pontifex in Xystinum sacellum accedit, ibique pontificalibus ornamenti indutus, hymnum praecinit *Ave maris stella*; et accepto cereo, quem accensum sinistra manu sustinet, « sellam gestoriam » ascendit post aulam et scalam regiam, et aulicis suis stipatus, pompa fit particeps basilicam Vaticanam petentis. Cuius magnifice pompa ordo, in qua omnes cereum accensum gestant precesque concidunt, quae typis impressae singulis antehac diribitae sunt, est qui sequitur:

Praecedunt Monachorum ordines, et post crucem elatam intra acolythos duos clericos adolescentes Romani Seminarii alumni. Sectantur Rectores curiarum Urbis, linteo amictu et stola alba spectabiles; Collegium templorum Canonici et Beneficiarii. Quaestor romani cleri eos comitatur, quem sequuntur minorum basilicarum collegia ac deinde basilicarum Patriarchalium Liberianae, Vaticanae, La-

<sup>1</sup> Absentes ex legitimo impedimento transmittunt suffragium ad SS. Rituum Congregationis secretarium.

teranensis. Quodlibet ex hisce canonico-  
rum collegiis suum habet insigne, suum-  
que Vicarium, qui Antistes est domus  
Pontificis Maximi, violacea veste indutus;  
itemque accensos, qui rubris scipionibus  
panno serico et villoso obtectis, cuspide  
ex aere inaurato, subnixi, tamquam desi-  
gnatores praeeunt.

Venit deinde Antistes suffectus Cardi-  
nali vice sacra in Urbe fungenti una cum  
Cognitoribus et Administris sacrae eius-  
dem Curiae et Sacrae Rituum Co- grega-  
tionis; post quos vexilla novos declaran-  
dos caelites repraesentantes, quae circum-  
stant viri insignes tum ex familia, tum ex  
dioecesi, tum ex religioso ordine novorum  
ipsorum Sanctorum.

Magnus deinceps appetat eorum nume-  
rus, quibus ius est in sacrarium pontifi-  
ciae domus conveniendi, nempe: statores  
decuriales;<sup>1</sup> Cubicularii ornamentarii et  
intimi ab ense et chlamyde; Patroni decu-  
riales sacri palatii;<sup>2</sup> Magister pietatis fa-  
miliae pontificiae domus cum Oratore apo-  
stolico; Decuriales et intimi a Sacris domus  
pontificalis aliisque intimi a Sacris; Advo-  
catus fisci cum Praeposito negotiis mensae  
publicae Pont. Max.;<sup>3</sup> Advocati sacri Con-  
sistorii; Cubicularii honorarii et intimi;  
Cantores pontificii talari sua veste serica  
violacea et zona ad extrema capita villa  
distincta linteoque amiculo.

Pone hos procedunt Antistites adlecti  
in Collegium Breviotorum ordinis primi;<sup>4</sup>  
Antistites adlecti in Consilium Principis  
ad caussas rerum iudicatarum dirimen-  
das;<sup>5</sup> Duodecim viri Urbi curandae;<sup>6</sup> Duo-  
decim viri sacri Consilii litibus iudican-

dis,<sup>1</sup> quos inter Praefectus sacri palatii,  
qui est e sacra Dominiciana familia. Deinde  
Intimi a sacris,<sup>2</sup> infulas gestantes pre-  
tiosas, quibus Pontifex Maximus in Missa  
celebranda utetur.

A subdiacono, qui iunior est inter elec-  
tos duodecim virorum sacri Consilii litibus  
iudicandis, dalmatica induito, Crux  
elata defertur septem inter candelabra, a  
totidem acolythis, qui sunt antistites e  
Consilio Principis ad caussas rerum iudic-  
tarum dirimendas, deportata. Apud eum  
incedunt duo magistri Ostiarii a virga  
rubea<sup>3</sup> et Diaconus atque Subdiaconus  
Graeci, proprii ritus vestibus ornati.

Sequuntur Praefecti admissis poenitentia-  
tum expiandis, quibus antecedunt adoles-  
centes duo talari veste et linteo amiculo,  
florum fasciculum gerentes, e quo virga  
attollitur oblonga, conscientiae imperii  
argumentum; et Abbates infulati, atque  
cum iis summus Magister Collegii S. Spi-  
ritus; Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae  
et Patres Cardinales, iuxta ordines suos,  
et quisque cum suo accensu, qui a syrmate  
appellatur,<sup>4</sup> aliisque auicis. Universus  
autem sacer Senatus protegitur a Prae-  
torianis helveticis, galea ferreaque hasta  
armatis.

En denique post Statorem proximum  
a solio<sup>5</sup> et Principem Pontificio solio ad-  
stantem, Pontifex maximus infula tectus,  
circa quem procedunt praefecti nobilium  
stipatorum palatinae et helveticae cohortis;  
intimi a cubiculo; pontificii accensi, gladio  
cincti et clavam argenteam super dex-  
tero humero ferentes;<sup>6</sup> et post sellam

<sup>1</sup> Vulgo: *Sicutiferi*; italice: *Bussolanti*.

<sup>2</sup> Italice: *Procuratori di collegio*.

<sup>3</sup> Vulgo: *Commissionarius rev. Camerae Apostolicae*.

<sup>4</sup> Vulgo: *Abbreviatores de Parco maior*, sive  
*Assistentes S. R. E. Vicecancellario*.

<sup>5</sup> Italice: *Votanti della Segnatura Apostolica*.

<sup>6</sup> Italice: *Chierici di Camera*.

gestatoriam, cuius ad latera erecta sunt  
flabella duo ex alba pluma, Sacrae Ro-  
manae Rotae « Decanus » lineo amiculo  
alioque manicato induitus aliam infulam  
gerens duos inter Cubicularios intimos;  
Archiater Pontificis Maximi, Primus adiu-  
tor a cubiculis,<sup>1</sup> Pontificii cantores alii,  
Antistes Maximus curiae Innocentianae,<sup>2</sup>  
Sacrae pontificiae domus Praepositus,<sup>3</sup>  
Protonotarii Apostolici sive e numero bene-  
ficiariorum,<sup>4</sup> sive exhortium;<sup>5</sup> Summi de-  
nique sacrorum familiarum moderatores.

\*\*\*

Cum hac pompa basilicam Vaticanam  
Summus Pontifex ingressus quem ad so-  
lium pervenerit, sub cathedra S. Petri  
amplissime erectum, in eoque sedens, Car-  
dinales, Episcopos, Abbates ac Poenitentia-  
riarios ad obedientiam excipit. Post haec,  
alter ex advocatis sacri consistorii cum  
Cardinali Procuratore delegato ad imum  
solii ipsius ex caeremoniarum magistris  
adductus, canonizationem ter petit: instan-  
ter, instantius, instantissime. Dubius pri-  
mis petitionibus Secretarius brevium ad  
principes pro Pontifice respondet funden-  
das esse preces ad implorandum divinum  
auxilium; ideoque post primam canuntur  
Litaniae Sanctorum, post secundam *Mis-  
ere* et hymnus *Veni, Creator Spiritus*. Ad  
tertiam aperit mentem Pontificis de  
peragenda canonizatione, quam reapse hic  
statim exequitur stans, infulatus, uti Do-  
ctor et Caput universalis Ecclesiae, hanc  
sollemnem formulam recitans:

« Ad honorem Sanctae et Individuae  
Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catho-  
licae et Christianae Religionis augmen-  
tum, auctoritate D. N. Iesu Christi, Bea-  
titudine eiusdem et misericordie, et

<sup>1</sup> Italice: *AIutante di Camera*.

<sup>2</sup> Vulgo: *Auditor generalis rev. Camerae Apostolicae*.

<sup>3</sup> Italice: *Maggiordomo di Sua Santità*.

<sup>4</sup> Vulgo: *Participantium*.

<sup>5</sup> Scilicet: *Honoris causa*.

torum Apostolcrum Petri et Pauli ac  
Nostra; matura deliberatione praehabita,  
Divina Ope saepius implorata ac de Vene-  
rabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ro-  
manae Ecclesiae Cardinalium, Patriarchar-  
um, Archiepiscoporum, Episcoporum in  
Urbe existentium consilio, Beatos *N. N.*,  
Sanctos esse decernimus, ac Sanctorum  
catalogo adscribemus: statuentes ab Eccle-  
sia universali illorum memoriam quolibet  
anno die eorum natali, nempe Beati *N. N.*  
die... et Beati *N. N.* die... inter sanctos...<sup>4</sup>  
pia devotione recoli debere. In nomine  
Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

Prolatam hanc sententiam excipit advo-  
catus nomine Procuratoris, actisque gra-  
tiis, petit litteras Apostolicas super cano-  
nizatione, cui Pontifex respondit: « Decer-  
nimus ». Tum advocatus Protonotarios et  
Notarios rogat, ut unum aut plura instru-  
menta ad perpetuam rei memoriam confi-  
cient, eorumque antiquior in testes vocat  
stantes in solii pontificii area. Tum Pon-  
tifex hymnum *Te Deum laudamus* praec-  
cinit, quem universus populus prosequitur,  
dum, ex Vaticano templo initio facto, reson-  
antque omnium templorum per Urbem  
aera campana.

His caeremoniis absolutis, Apostoli-  
caque benedictione impertita, Summus  
Pontifex sollemnem Missam celebrat, ad  
cuius « offertorium » fit ei a Cardinalibus  
sacris tuendis Ritibus praepositis, nomine  
causae Postulatoris aut Ordinis cuius fuit  
pars Dei Servus nuper inter Sanctos coo-  
ptatus – quorum sodalium manipulus Car-  
dinales ipsos comitatur – oblato cereorum,  
panis, vini, aquae, turturum, columbarum  
et avium, singularis ea quidem mysticae-  
que significationis plena, quam tamen ne  
in longum nimis trahatur hic sermo omit-  
tere cogimur.

Oblatio denique altera, quamquam sin-  
gulis vicibus iam antiquitus communis,

<sup>1</sup> Confessores, Pontifices, Sanctas Virgines, etc.

quotiescumque Pontifex sollemnem Missam in basilica Vaticana celebrat, fit antequam Summus Pontifex ab ipsa basilica recedat. Cardinalis nempe Vaticanae basilicae Archipresbyter, cum duobus canoniciis sacrario praefectis, *presbyterium*, seu viginti quinque denarios, signo veterum pontificum signatos, ei offert « pro Missa bene cantata ».

I. F.



### LATINAE EPISTOLAE AD AMICUM

III.

#### Academia linguae latinae instituenda.

Salve et vale!

Latinae linguae honor et in orbe terrarum diffusio anxium me tenet. Eam vivere demonstravi alias tibi: sed opus est ut vita, qua profecto non caret, adeo omnibus pateat, ut ignarus quisquis perspiciat oculis et id mente fateatur.

Quid igitur consilii? En paucis.

Coetus instituendus, cui ius competit verba condendi ad hodiernam vitam accommodata, huic innixus principio: *Novis rebus nova verba*. Scilicet usus circumlocutionum ad exprimenda vel nova inventa vel facta priscis ignota procul amandandus. Hoc in paupere lingua vix tolerare licet, in praedivite autem et magnifico Romanorum sermone nullo modo. Arduam sane rem tibi propono, imo nondum, ni fallor, tentatam, sed temporibus nostris, si quis sapit, necessariam. Quum classica studia ubique fere in praeceps ruant, succurrendum novo impulsu. Honor latinis litteris restitutus linguas ab iisdem progenitas nobiliores faciet eisdemque vigorem addet ac veluti ad novam eas revocabit vitam.

Regulam ad vocabula nova formanda Horatius noster docuit: scilicet ea a graeco fonte et a latina divite vena esse derivanda, parce tamen detorta.

Verum si in re tanti momenti difficultates non deerunt superandae, illud revoca: *Audentes fortuna iuvat!*

Ut vero perspicua sint omnia, servandus est ordo. Versus ille tibi notissimus manu quasi me dicit, quum profatur:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

En epistolae divisio, mutato tamen rerum ordine. Iam habes quod respondeas interrogaioni: *Quid?*; imo etiam *Cur?*

*Quomodo* illud fiat monet sapientia vetustatis: *Natura non facit saltus*. Imitanda itaque natura est. Primum in coetu hoc viri pauci, iidemque selecti, laboris patientes, constantia insignes. Domus ad congressus literarios humilis, haud tamen indecens. Praeses eligatur. Rationes coetus dirigendi, praemiorum quorumdam latine scribentibus distribuendorum, archivi, bibliothecae, commercii litterarum et horum similium statuantur. Et in primis quoque prae oculis habeatur quod in hominum litteratorum opinione infimum, re vero supremum est: nihil sine pecunia fieri. Ad hanc igitur comparandam mature prospici debet.

Ad latinum sermonem provehendum praecnonium menstruum *Alma Roma* iam est: aptius perficiatur, augeatur; si redditus sinat, etiam illustratione, quam vocant, ornetur.

Triennio vel quinquennio expleto, maiora prospicere latinitatis hoc concilium poterit experientia edoctum, iacto primum solido fundamento.

De ceteris ad aliam epistolam.

P. SPINA.

*Vacare culpa maximum solatium est.*

Cic., Fam., VI.

### MIRAE SIDERUM RES

Et nos, qui nostrae aetatis sumus et plus aequo forsitan terrestribus rebus inhaerentes, immodece eas quaerimus et longa consuetudine fruimur, si caelum tantisper adspicimus, optime novimus, quam sordida sit tellus eiusque incolatus insanabilis. Ac propterea, hanc in praesentiarum animi inclinationem nactus, lectores meos ad sidera sequi amice preabor.

*Quis Deus hanc, musae, quis nobis extudit artem?*

Constat apud omnes veteres sapientiam siderum callere et Medos in primis atque Aegyptios. Ne timeas tamen volo, me diutius in hac re morari, et te in universam rapere astrorum scientiam ... Longe mihi alia mens est. Recens Camillus Flaminion, insignis astronomus apud Gallos, aureum volumen de sideribus conscripsit, idque I. Baroni in italicum sermonem ingeniose convertit. Haud equidem ignoro, haud ita multo ante, Angelum Secchi, illustre Jesuitarum ornamentum, Italorum nomen et in hac scientia apud omnes gentes renovasse, et librum cinnasse omnium perfectissimum. Et in eadem re moratus, in medium quoque referam volumen quod A. Müller, mira admodum sapientia edidit, multisque recentioribus inventis refertum, *De astrorum natura*.

Sic breviter praefatus, ad rem meam, atque primum ad *sidera duplia* rectissime venio.

Sed quid sibi vult hoc vocabulum: *siderus duplex*?

Arago, uti certissime novisti, clarissimus astrologus inter Gallos, primus sidera duplia vocavit, et tripla quoque et quadrupla, uno verbo quasi multiplicita, quae bina saepe spectantur, vel terna inter se se viciniora. Viciniora, inquam, ut ipsa nobis adspicientibus apparent, etiamsi reapse maximo omnino intervallo intersese separantur, suoque splendore cetera circum posita detegendo, novum stellarum nucleus producunt.

Guillelmus Herschell, qui haud ita primum principem locum inter siderum spectatores obtinuit, mira sane perspicuitate tradidit quoniam modo longissima illa sidera se in caelis habeant, et dein multi, labentibus annis, eius vestigiis insistentes, rem melius in dies docuerunt.

Sunt ergo quadringentae circiter stellae, quas tuis ipse oculis adspicere potes; si autem parvulo quoque *telescopio* caelum perlustraveris, tunc illico centies millenae aderunt; et, quod mirum admodum est, totidem soles apparebunt et stellae circum vagantes ad centrum, quae inter se decies centena millia et amplius *chilometra* distent.

Equidem

*Hic incredibilis rerum fama occupat aures!*

\*\*

Habentne et colorem sidera? Imo quam varium et decorum! Mirabilis admodum horum siderum conditio et pigmentum. In tot stellarum ordinibus, quas modestissimus quisque observator adnumerare poterit, quinquaginta fulgidiores pulchioresque apparent, quarum triginta ex citrino ad croceum variant. Sic grandior inter sidera *Andromidae*, *Beta*, *Cygni*, *Delta*, *Herculis*, tres ex roseo ad pyropum, aliaeque vario colore.

Adsunt duodena omnium splendidissimae, quae ipsum diamantis fulgorem superant, et prae caeteris *Miror*, *Castor*, *gammaque Arietis*.

Praeter stellas duplices, sunt centenae simplices stellae, eoque colore, ut nemo eas coloribus nostris aequare possit.

Stellae autem rubeae, ex gr., solae, fulgentes, tamquam carbunculi excandentes, septingenta propemodum facile recensentur, pleraque in *Cygni* astris, *Aquilae*, *Cephei*, *Cassiopeae*, *Orionisque*, quarum splendor interdum superat Cappam crucis, vulgo *carbunculorum scrinium* adpellatam; aliaeque adsunt ab Herschell alio nomine advocatae.

(*Sequetur*).

I. B. F.

## EX GALLIA

### De « Sodalibus mentis ».

In periculo est mens Gallica, cui iam nunc arduae magis magisque in vita artificum, scriptorum, eruditorum, artiumque ingenuarum instant conditions et futurum maius imminet detrimentum, quia classis media, quae dicitur, quaeque plures illi egregios cum amplio publico subministrabat initiatos, corporei victus ruit oppressa pondere.

Et honoris sui detrimentum mens capit. Divitiarum enim et numeri quum duas inter angatur potestates, haud multum abest quin eius nihili pensetur utilitas. Mox pro vana cultus ingenii nimis putabitur luxuria.

Quae quum ita sint, idem valent ut populi calamitas. Litterarum enim et artium libenter insignis perhibetur utilitas, sed iis in operibus, quae vitae necessaria pariunt, populumque sustinent, mentis partes premi silentio solent. Divitiarum genitaram, falsa quidem doctrina, in manuum labore videntes, moderationis autem peritiaque, et, omnes per suos gradus, inventionis primarium in procreandis, quae pretium habent, inficiantur momentum.

At in divitiis parientis, solas gerentis labor, secundantis vero partes, et in meliora promoventis, mens agit. Quare principatum intellectualibus qui negant artibus, facultates gentis in dubium devocant. In hoc ergo tam grandi periculo propulsando, strenuum nimis nullum esse medicamentum, *Mentis Sodales* existimant, verum etiam temporis cogi intellectuales necessitate, ut pari forma atque artes se ipsos instruant, et suam declarant voluntatem vivendi collegiorum ritu.

Congregatos inter patronos et operarios, tertius mentis opificum ordo liberam se potestatem et sui iuris foederationem constitueret debet. Quam ob rem foederationi *Mentis Fabrorum* condendae, contione decimo Februarii habita, illos secuti, *Mentis Sodales* interfuerunt.

Primi enim compererant, ad intellectualem foederationem instituendam (imo si qua fieri ullo pacto possit), subsidium illorum intellectualium opificum conquerendum esse, qui soli ad arbitrium suum fructuosa vi praesente utuntur, quia cassa hisce temporibus forent pecunia et opera, iis ipsi si deessent, qui sunt artis videlicet periti.

Qui *Fabrorum Mentis Foederatione* notiorem demum incorporatam anticiparunt, gaudentes quod questuosae artis inter et cogitationis peritos primum efficerunt consortium, *Mentis Sodales* intellectualis atque moralis proprie ordinis opus in sinu foederationis novae prosequuntur. Opes sustinenda in hoc aevi convictu culturae providere ac tutari volunt.

Agendo apud populum ratione et via primariam positorum in inspectione studiorum partem illustrare, et brutis viribus dedito magis magisque in aeyo gratuitu volunt servare notitiam officii: culta quum nulla sit humanitas, materiales etiam eius subtractiones si velis respicere, quae progredi vel manere sine hoc vitali fonte valeat. Nonne enim questuosae per omnia cognita et inventa artes crescunt, quorum principium gratuita est scientiae cognitionisque indagatio?

Ad haec latius propaganda *Mentis Sodales*, quum scribendi et simulandi artificibus, ut quae horum sunt temporum capessant magis, tum vero artificii peritis, ut se universae menti cognatos intelligent, conabuntur persuadere. Denique septa contendunt haud pellucida pessum dare, quae dicendi artes a cognoscendi, et cognoscendi a ditescendi artibus, porro dicendi, cognoscendi, et simulanda formosae speciei sectas a fructuoso dividunt convictu, ut populum secundae eaedem profectus intimi communisque progressionis aquae - omnem extra civilem aut sacram opinionem - vehementer perfluant.

Ergo *Mentis Sodales* agendi consilia sua declarant:

I. - Dispersos adhuc omnes scriptores, rerum pulclarum artifices, eruditos, arti-

fici peritos artesque professos liberales in ea quae iam sunt, et in nova constituenda necessaria perducere collegia, qui foederatos ea ratione augeant *Mentis Fabros*.

II. - *Mentis Fabros* ad cognoscendos inter se, et ad prima singulis urbibus effienda maxime, quibus accipi et reddi spiritualia atque moralia possint, adiuvare.

III. - Idoneas inventionis fovendae in rationis, orationis, animique artibus, et in cogitatione universa, rationes ac instituta subiicere et efficere.

IV. Id Gallicum effatum, in profecta ex Saint-Simone sed retractata sententia, propagare: mente primas in humana societate teneri.

Eam autem societatem obsignaverunt viri septuaginta quinque et mulieres tres, multis et diversis generibus bonarum artium clari, qui animas hominum ratione, oratione, modis Gregorianis quoque; qui corporeas naturas, et vires (ut metalla aut aethera) movent: magnis ex cathedris docentes, et multis praesidentes artificum collegiis: matutina autem ephemeride *Le Matin* dicta (unde scriptum hoc interpretati sumus) ediderunt die decima Martii, Parisiis. *Sodalibus Mentis* qui assentiant, scribant, et mittant: Parisios, fores quartas viae *Chauveau Lagarde*.

Tornoduri in Gallia.

JACOBUS TASSET.

## COMMUNIA VITAE

### Nomina virorum atque mulierum propria.<sup>1</sup>

Eberhardus - Teut. - Comes validus.

Edbertus (Eadbertus) - Teut. - Fortunatus illustris.

Edmarus (Eadmarus, Edmerus) - Teut. - Princeps beatus.

Edmundus (Eadmundus, Emundus) - Teut. - Felicitatis protector.

Eduardus (Oduardus, Aduardus, Guarinus) - Teut. - Felicitatis defensor.

Edvides (Edwiges) - Teut. - Felicitatis propagatrix.

Egbertus (Ecbertus, Egilbertus) - Teut. - Iuvenis illustris.

Egibaldus - Teut. - Iuvenis animosus.

Eginardus (Echinardus, Einardus) - Teut. - Iuvenis fortis.

Eginulfus - Teut. - Iuvenis adiutor.

Egla - Hebr. - Vitula.

Eleutherius - Graec. - Liber.

Eliprandus - Teut. - Illustris advena.

Elisabeth (et vulgo Lisabeth, Beth, Beithina, Elisa, Lisa, Isotta, Isabella) - Hebr. - Deus iuramenti.<sup>1</sup>

Eliseus - Hebr. - Dei salus, sive Deus servator.

Elpidius - Graec. - Spem habens.

Elvira - Vid. Amalaricus.

Emma - Vid. Gemma.

Emmanuel - Hebr. - Deus nobiscum.

Ensch (Hensch et vulgo Noc, Noccus) - Hebr. - Sacratus.

Epaminondas - Graec. - Praestantisimus.

Epicaris - Graec. - Hilaris.

Epicharmus - Graec. - Super gaudium.

Epiphanius (Epiphane, Epiphana) - Graec. - Clarus, Clara.

Erardus - Teut. - Miles strenuus.

Erasmus. - Graec. - Amabilis.

Eribaldus - Teut. - Miles fortis.

Erinfridus - Teut. - Insignis; et etiam Honoris defensor.

Erinna - Graec. - Furor.

Eriprandus - Teut. - Miles illustris.

Ermelinda (Ermelina) - Teut. - Virago benigna.

Ermeganda (Irmnegardes) - Teut. - Fortium hominum genitrix.

<sup>1</sup> Quod vulgo nomen Bethinus audit, est « Elisabeth filius ».

Ernestus (Ernesta, Ernestina) - Teut. - Fortissimus.  
 Esther - Hebr. - Abdita.  
 Ethelmundus - Teut. - Patriae patronus  
 Eva - Hebr. - Mulier.  
 Evander (et vulgo Homo bonus) - Graec.  
 - Vir bonus.  
 Evangelista (Vangelista) - Lat. - Evangelii praeco.  
 Evaristus - Graec. - Gratus, Acceptus.  
 Euclides - Graec. - Inclitus.  
 Eudemus (Eudemon) - Graec. - Felix.  
 Euphemia et Eudoxia - Graec. - Mulier boni nominis.  
 Euphrasius - Graec. - Qui bene loquitor.  
 Euphrasia - Graec. - Mulier quae laetificat.  
 Euphronius - Graec. - Ex bona mente.  
 Euphrosyna - Graec. - Laetitia.  
 Eugenius - Graec. - Nobili stirpe natus.  
 Eulalia - Graec. - Quae bene argutatur.  
 Eumenis - Graec. - Benevolus.  
 Eunice - Graec. - Bona victoria.  
 Eunus - Graec. - Boni animi vir.  
 Euryalus - Graec. - Ex ampla terra.  
 Eurydice - Graec. - Iusta maxime.  
 Eusebius - Graec. - Pius.  
 Eustachius - Graec. - Bonus fructus.  
 Eustasius - Graec. - Constans.  
 Eustochius - Graec. - Fortunatus.  
 Eustolia - Graec. - Bona veste induita.  
 Eustorgius - Graec. - Bene animatus.  
 Euthychius (Euthychianus) - Graec. - Felix.  
 Euthymius - Graec. - Tranquillus.  
 Eutropius - Graec. - Vir bonorum morum.  
 Ezzelinus - Vid. Azzo.  
 Fabianus - Lat. - Ex gente Fabia.  
 Ferdinandus (Fernandus, Ferrandus) - Teut. - Vir pacificus.  
 Fidentius - Lat. - Animosus.  
 Flocellus (Italice Fiorello) - Lat. - Parvus flos.

Florentius - Lat. - Ex flore.  
 Firminus (Firmius) - Lat. - Solidatus.  
 Flaminius - Lat. - Sacerdotalis, Sacrificus.  
 Florus (Florius) - Graec. - Florum numen.  
 Fulcus - Lat. - Sustentaculum.  
 Franciscus (et vulgo Francus, Frescus, Ceccus, Cescus, Cestus, Cecchinus) - Teut. - Impavidus.  
 Fridebalodus - Teut. - In pace fidens.  
 Fridebertus - Teut. - In pace celebris.  
 Fridelinus (Fridolinus) - Teut. - In pace suavis  
 Fridhelmus et Fridemundus - Teut. - Pacis defensor.  
 Fridericus (et vulgo Federicus, Riffredus, Ghigus) - Teut. - Potens in pace; et etiam Potens patronus.  
 Fridevicus - Teut. - Pacis perfugium.  
 Fridulfus - Teut. - Pacis sautor.  
 Fridianus - Teut. - Tranquillus.  
 Fronto, onis (Frontinus) - Vir magnae frontis, aut etiam apertae mentis.  
 (Ad proximum numerum).

I. F.

## AURI FAMES

Inter morbos, qui hominum genus «circumstant fremitu denso, stipantque frequentes» ponere haud dubitaverim inhians auri desiderium, quo continuo homines vexantur ac dilacerantur..

Auri enim fames, quam olim Vergilius igneis propemodum verbis *sacram* appellare voluit, hac nostra aetate eos praesertim plectit atque allicit, qui ad pecuniam, tamquam ad pravum divinum cultum, rapi patiuntur. Innumeri prope sunt eius cultores et mira admodum ratione omnes terrifici huius numinis benevolentiam captare student. Sunt enim qui divitias appetant ut impure et copiose vi-

vant, ut honoribus ac potentia ceteris antecellant, ut demum ad munera reipublicae capessenda facilem sibi viam atque securam muniant.

Primus et omnium horribilior se se nobis obvium offert scelestissimus ille vir, qui improba auri fame compulsus, teterimum omnium facinus, quae referant historiae, patravit; sanctissimum, scilicet, Magistrum vili admodum pretio tradidit.

Quum regnarent Lacedaemon, Roma et Carthago, haec ipsa auri fames maxime desevit, intestina praelia excitavit. Quot popularium duces, specioso caritatis in patriam praetextu, ad opimas acquirendas exuvias unice contendenterunt! Hi enim factiosi homines, callide philosophorum placitis abutentes, ad pravam animi cupiditatem atroces in patriae maiestatem cooriuntur. Superbiam hi rectoribus, honores, imperia, sacerdotio exprobare, communem servitutem queri, populi pene obrutivices dolere, omnia quaestui habentes, aliorum divitiis, ut ex hostibus praedae, palam inhiantes! Quum vero ad supremum reipublicae locum vi pecuniae pervenerint, omnia in proprios quaestus convertunt.

Dantes, qui adeo in immortali carmine severum se exhibuit, aptissime Pygmalionem meminit, qui *scelere ante alios immanior omnes* visus est, ob improbam thesauri cupiditatem; mox miserrimam Midae sortem queritur, tristemque Acam, nec non praemium Heliodoro divinitus permissum, illis verbis:

*Lodiāmo i catci che ebbe Eliodoro!*

Et paullo post acrius in Crassum consullem insectatur eum compellans:

*Dicci, chè il sai, di che sapore è l'oro?*

Haud defuerunt qui inequenti saeculo memoraverint quot inverecunda atque iniqua arte innumeros sibi thesauros coegerint, ingravescente ipso teterrimo nationum bello. Ad rem quoque facit, ne

quid tibi sit novi, quod Victorius Alferius in medium indignabundus retulit, de gallicis illis viris, qui sub speciem patriae caritatis, acriori pecuniae cupiditate abrepti, occulte patriae hostibus globulos, pulveremque ignescentem et ipsa bellica tormenta tradere, atque insuper frumentum et commeatus ...

Alexander cognomento Magnus dicere consuevit: « Nulla est arx inexpugnabilis, dummodo per ipsam asellus auro onustus transeat ». Quot arces sic fuerunt et nostra aetate deletae-quot urbes devictae et praelia fuerunt hinc inde relata!<sup>1</sup> Alii alias ipsos argentarios incusant, qui bellum nunc suscitant, nunc ad pacem populos revocant, una divitiarum cupidine permoti. Et saepe infelix tunicatus popellus, prava rerum mortalium facili acquisitione falso abreptus, atque in corruptissima civitate, omnibus bonis moribus ablegatis, ad turpissima quaeque proripiunt.

Ac propterea verbis seditiosis adlecti, cum et aliis qui nuper aegerrime viverent, mutatis ex improviso rebus, beatiores habentur, summam imperii obtinent; et cum quosdam religio cooperit eadem conandi, ipsi, conscientiae stimulis remotis, ad summam amplitudinem brevi iam pervenisse videntur. Et quod peius, qui scriptis ac litteris mores lectorum castigare consueverunt, et diurna prope ac nocturna manu popellum corriger ac moderari autumant, opera admodum praepostera cuncta perturbare animosque commovere assolent.

Horum enim opera, plebs effrenata assurgit et nimis alta cupere novamque sibi sortem parare nititur.

<sup>1</sup> Quum Napoleo adhuc consul et supremus gallici exercitus dux in Italia, mira audacia, Austriacos ad Marengo in Subalpinis profligasset, aureum nummum edidit, qui a Victoriae nomine appellatus est. Tunc illuc vox in vulgus effunditur ipsum ingenti admodum pecunia praeciarum de austriacis triumphum retulisse.

Ad exitum sibi utilem unice spectant, et dummodo res laetissime finem obtineant, per fas et per nefas omnia pertentant, et, mirabile dictu, quibuscumque se se periculis obiciere audent.

Namque ubi cupidus est, frustra caritatem, aut iustitiam invenies. Divitiarum cupidis nulla est honestas neque religio. Sive sunt mercatores, sive opifices, sunt scriptores aut agricolae, historici aut poëtae, sunt cuiuscumque ordinis viri mente coinquinati et pectore consueverunt...

*ire per omnia  
Terraque tractusque maris caelumque profundum.*

Verum hae divitiae caducae natura sunt casibusque fortunae obnoxiae, et quemadmodum subito creverunt, ita quoque uno labente die humi procubuerunt. Quot enim in foris superbe in plaustris deambulant, quos ob publica crimina, ne salutes quidem etiam atque etiam rogo. Et saepe ipsae matronae animis elatae, ut olim Cleopatra

*Plena maris Rubri spolis colloque comisque,  
gerunt per ulnas et vestiunt creditorum  
spolia, pauperumque mercedem!*

Coram conspicuo gallico senatu in altam iudicum sedem converso, splendido apparatu, his diebus, reipublicae criminis accusatum vidimus Virum, qui nuper summam rerum obtineret, nunc autem in ius detrusum, quod magna pecuniae copia, per speciem pacis, patriam hostibus trahere paratus fuisset. Hinc inde potentes accusatores ac defensores, qui acrius et pugnacius in reum instant, et vehementibus inquisitionibus longius saepe petitis eum tundunt, pellunt atque turpiter vexant. Plebs autem indignata perperam mussitat, hos omnes agitari ob nimiam pecuniae sitim! ...

En que sunt temporum nostrorum vices, quibus maxime divitiarum cupiditas urget; en quid hominum fama, quid-

que fortuna tam potens quam variabilis, ob turpem auri cupidinem.

Et alij fortasse, qui hodie ad supraemerum gubernacula sedent et cuncta movent supercilia, crastina die, peculatus ipsi et repetundarum rei, in ius vocabuntur, omnibusque odiosi ultima quaeque timebunt et miserrimi expectabunt.

Felix Roma antiqua, quae sic olim filios monere consueverat, ut paucis contenti et frugales in terreis fictilibus

*Nec modica coenare timens otus omnes patella!*

et possidentibus aurum potentes imperabant.

SENIOR.

## PRO IUNIORIBUS

**Franciscus Celaticensis eiusque neptis.<sup>1</sup>**

Neptis erat cuidam Francisco Celaticensi, quae blandiendi causa Franciscula vocitabatur. Haec se tantam tamque praestantem ducebat, ut viros et mulieres, et quidquid sub oculos caderet, maligno dente carpere consuevisset, nulla sui ipsius ratione habita, quae adeo erat illempida, molesta, et stomachabunda, quam quae maxime, ut nulla in re mos ei geri posset: ad haec ita imperiosa, ut vel e regia gallica stirpe prognatam dedecret. Quum vero in publicum prodiret, tantam veluti nauseam suscipiebat, ut continenter os distorqueret, perinde ac si omnes, in quos incidet, feterent.

Ceterum, ut missos faciam multos alios iniucundos mores et graves, quum die quadam domum reversa, ubi Franciscus habebat, et blandimentis tota constans eum assedisset, nil nisi fremebat; quare Franciscus: «Quid istud, Franciscula, quod festo

hoc die eo citius domum redieris? ». Cui mollitiis diffluens: « Qui - inquit - cito domum redierim? Mihi enim nunquam videor vidisse in terris viros et mulieres tam incommodos et graves, quam hodierna die; nec per vicos vel unus transit, quem ut malam crucem non fastidiam; neque ulli, mea quidem sententia, magis quam mihi iniucundum accidit iniucundos conspicere: igitur eos jam non conspectura domum properavi ». Cui Franciscus, qui putidos neptis mores graviter ferret: « O bona, - inquit - si tibi iniucundos conspicere tam iniucundum, si defaecato animo vitam vivere vis, ne unquam speculum consulas ». At illa, ut erat vapida, quum de sapientia tamen vel ipsi Salomoni minime concedere sibi videretur, instar arietis vim verborum deprehendit; immo dixit, se, ut ceteras, speculum consulturam. Qua insipientia etiam nunc laborat.

X.

## ANNALES

**Galliam inter et Angliam de Germania discrimen.**

Subacta militari seditione, de qua in superiori recensione nostra mentionem fecimus, Germanicum gubernium ad Spartachianam factionem intendere debuit, rerum summam appetentem. Qui quidem seditiosi homines Berolini victi, in alias imperii regiones manarunt, usque ad Ruhr fluminis fines, quod influit in Rhenum, et est prope Belgicam Batavicamque civitatem. Locus ille, fodinis frequens, atque ideo opificibus valde affluens, « zona neutra » declaratus fuerat in Versaliensi foedere; quum vero inde vellent rebelles eiicere, Berolinenses administrum veniam primum a consociatis victoribus populis

impetrarunt illuc copias suas pro tempore deducendi; deinde ex improviso propositum hoc re persecuti sunt, incassum refragante Gallia; quae deinceps, praetermisis sociis, Francofurtum, aliasque urbes quattuor, manu militari occupavit, declarans sese tum inde recessuram, quum Germanicus exercitus Ruhensi e regione recesserit. Huiusmodi vero Galorum agendi rationem aperte ac vehementer, per « notam », quam dicunt, conquesti sunt Angli, qui insuper interdixerunt, ne suus legatus conventibus de pace ultra cum iis participaret.

Discrimen non sine difficultate fuit tandem compositum per « modum vivendi » illius generis, cuius saepe politices periti solent periculum facere; ex discrimine hoc tamen facile monumenta deducere licet, quae animos de eventibus, qui in futurum nasci possint, haud profecto tranquillare valeant.

**Concilium de pace iterum congregatum.**

Itaque non unus Gallorum legatus, sed ipse administratorum collegii praeses Millerandus, concilii de pace novae sessioni, quae Sancti Rhemi, in Italica urbe, congregata est, intervenit. In qua quidem Graeci primas tulisse visi sunt, qui, frustra renitentibus Turcis, regnum suum fere usque ad Constantinopolim urbem amplificatum obtinuere. De Asia minore quoque eiusque divisione est disceptatum; sed Hadriatica quaestio insoluta mansit ob Jugoslavorum petitionem, ultima sessionis die, prolatam, ut facultas ipsis fieret rem directo cum Italis tractandi; cui Itali gubernii praefectus Nitti est assentitus.

Interim Flumana civitas, quippe cui nulla demum spes supersit, neque apud Italiam neque apud eius socios, per « na-

<sup>1</sup> Ex italicis fabulis Io. BOCCACCI (*Decam.*, VIII, 6).

tionalem coetum » suum, sese a cuiusvis imperio liberam suique iuris sollemniter edixit.

### Varia.

In **Dania** rex neque conviciis neque minis cedens, popularium legatorum coetum dimisit, novaque comitia indixit, quae regno favorabilia omnino cesserunt.

In **Hibernia** licet lata fuerit lex, cuius summam iam suo tempore retulimus, cives in integrae libertatis adipiscendae propositis suis viriliter instant, Angliaeque unguibus et rostris obsistunt.

**Inferioris Americae civitates** passim intestinis discordiis, passimque altera in alteram exagitantur. Sic Guatimalae praeses priusquam imperium Carolo Herrera, nuper in hoc munus suffecto, submittat, ignivomis ballistis urbem caput insane petit. Et Peruviana respublica et Boliviana verbis concinunt, re discrepant.

**Iaponia** denique Russos in pugna superat, Sinenses conatur sibi per clientelam amicos reddere, composite agit ut ab Americano et Anglo influxu sese liberet... Lente currunt noctis equi!

Kalendas Maiis MCMXX.

POPULCOLA.

### VACUI TEMPORIS HORA

**Musicae vis** quanta sit, iam a priscis auctoribus fuisse celebratum omnes norunt; iuverit hinc Cassiodorum repetere qui: « Tristitiam noxiā iucundat - asserit in epist. 40, lib. II, - tumidos furores attenuat, cruentam saevitiam efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem... sanat mentis taedium bonis cogitationibus semper adversum, perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gra-

tiam, et quod beatissimum curationis genus est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones, incorpoream animam corporaliter mulcit, et solo auditu ad quod vult deducit, verbo tacito manibus clamat, sine ore loquitur, et per insensibilium obsequium praevalet sensuum exercere dominatum ».

Quid plura? Atqui aliquid est de musicae vi non prius decantatum; influxum dicimus in... humanam caesariem, quem recens docuit Anglicus quidam medicinae doctor. Qui quidem id in primis quum firmum posuisset, ex hominibus centum qui liberales artes profiteantur undecim esse calvos, medicos excipit, quorum triginta intra centum defloccatos invenimus. Atvero musici ab illa lege non subtrahuntur; quinimo in symphoniacos praesertim musica influit, ut ita dicam, in utramque partem. Namque dum fidium rasores diu comam servare possunt, tibicines non possunt; ita ut bucinatores intra annos quinque cranium suum - heu miseros! - omnino depilatum videre cogantur.

Anglico medico facile assensurum puto quilibet in imagines cymbalistarum ac fidicinum oculos convertat, qui nunquam non capillatio vere « Merovingico » sese offrunt.

Si igitur capitis vestri ornamentum, lectores, diligitе, scitis hodie quid vobis agendum sit...

Id eo magis si birotam sive bicyclulam possidetis. In musicum scilicet instrumentum eam simul convertite: **bicyclulae** enim **harmonicae** praesto sunt, easque adinvenit et comparat Americanus quidam birotarum negotiator. Qui inter ferrea repagula, machinae statumen efformantia ad trianguli formam, ab lyrae forma non dissimilem, fistulas aliquot ponit variis modis temperatas, in quibus aer, violenter per cursum motus, sonitum excitat, va-

rium, fortē, iucundissimum tum sellae incidenti, tum in via transeuntibus. Addit inventor eandem musicam optimum esse, pro tintinnabulis gummeisque tubulis, viatoribus signum quo velocissimum vehiculum caveant; dummodo ne, ex adverso, lyrae huius aeolae concentibus in extasim rapti, atque periculorum incuriosi... incidunt in Scyllam!

Quae sequitur **inscriptio** Bracara Augusta ex urbe ad me devenit, estque in quadam triclinio, elegans profecto atque salutare monitum:

Non hic auratis ornantur prandia fulcris,  
Assyrius murex nec tibi signa dedit.

Nec per multiplices abaco splendente ca-[vernas

Ponentur nitidae codicis arte dapes.  
Nec scyphus hic dabitur, rutilo cui forte me-[tallo

Crustatum stringat tortilis ansa latus.  
Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,  
Quaeque Sarapteno palmita missa bibas.  
Sed quidquid tenuis non complet copia men-[sae,

Suppleat hoc, petimus, gratia plena tibi.

Tuccius naturalis historiae periculum facit. Magister eum interrogat:  
— Quomodo vocantur corpora, quae vi sua moventur?

Tuccius tacet. Suggerit Magister:  
— Sem...

Tuccius in silentio perseverat.  
— Euge! In mentem tibi revoca, et homines esse sem...

— Ah! Sem, Cham, Iaphet!  
—

Idem ad periculum grammatices.  
Magister:  
— Echo nomen est masculini an feminini generis?

Tuccius:

— Feminei aedepol! Nam ultimam semper fert vocem.

\*\*\*

### Aenigmata.

I.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum  
Summum thure colo Numen odorifero.

II.

Sum verbum? Carpturus iter me saepius [audit.

Sum nomen? Signo, Naso, poëma tuum.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Cor-dolium*; 2] *Scipio*.  
IOSFOR.

## ROMA SACRA

### Ex Congregatione S. Officii.

*Circa authentiam Mosaicam Pentateuci.*

Proposito dubio: « Utrum doctrina circa authentiam mosaicam Pentateuci, nuper exposita in opere: *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, an. 1919, fasc. XV, sub titulo: *Moïse et Josué*; nec non in *Revue du Clergé français* XCIX (1<sup>e</sup> sept. 1919), pages 321-343, sub titulo: *Moïse et la Pentateuce*, tuto tradi possit », responsum est negative.

(Ex decr. d. XXIII m. Aprilis MCMXX).

*Opera omnia auctoris vulgo « Guido da Verona » damnantur.*

Per decretum d. XXIII m. Aprilis MCMXX proscripta, damnata atque in Indicem librorum prohibitorum inserta sunt auctoris vulgo *Guido da Verona* opera omnia.

## VITA RUSTICA

2)

Iam venator adest, silvas camposque peragrat,  
Silvestrem sectatur aprum leporemque fuga-  
[cem  
Immissis canibus; vigilat noctuque diuque,  
Et turdos merulasque necat deserta colentes.  
Tum glandes ballista graves extrudit, et alte  
Intonat, atque fremunt magno cum murmure  
[valles.  
Venit hyems, oleisque scatet nemus omne,  
[similque  
Planitiem videoas late nigrescere bacis.  
Expediunt lactis calathos de more coloni:  
Mane novo surgunt pueri teneraeque puellae,  
Et celeri properant passū per opaca viarum.  
Collectoque sinu matres, qua baca nigrescit,  
Incedunt oleasque legunt calathisque repo-  
[nunt.  
Exsultant omnes, canit inter iubila cultrix,  
Dum pueri referunt olearum plena canistra:  
Scilicet aggeritur Sicionia baca trapetis:  
Mox oleas purgant, subduntque molaribus,  
[atque  
In mollem massam vertunt, et crate coērcent:  
Pondera dant prelo iuvenes, ac viribus in-  
stant:  
Fervet opus, calidoque puer simul irrigat  
[imbre  
Crates, atque fluit ros undique pinguis olivi.  
At gelida quandoque sedent sub nocte coloni  
Ante focum, flammisque fovent crepitantibus  
[artus:  
Nutrimenta parant oleo perfundere flavo,  
Et noctem ludo ducunt, et pocula miscent.  
Est qui composito fruitur securus acervo,  
Dum nive canet ager, dum saevit in aethere  
[turbo:  
Ille beatus adest; foculo ramalia subdit,  
Et frigus prohibet, dum totus ab igne renidet.  
Assidet uxor amans, flammisque imponit ahe-  
[num,  
Dein pultem tribuit cunctis, ac poma ministrat.

Angulus en resonat pueris ludentibus omnis.  
Interea versant fusos ac fila puellae,  
Et multam gaudent in noctem ducere cantus.  
At recubant campis aestate calente bubulci:  
Iam vergente die, tauris fumantia colla  
Solvunt, atque vocant teneros de rupibus  
[agnos.  
Ecce domum redeunt parva cum prole va-  
[gantes  
Matres, ac referunt florentia serta puellae:  
Atque gravem pomis quidam deducit assellum  
Lassulus, et tardo virgis ac voce minatur.  
Portat anus reptans lignorum vespere fascem,  
Et queritur, gemitusque ciet de pectore tristis,  
Balbutitque sedens quandoque precantia ver-  
[ba.  
Iam, moriente die, volucres cunabula quae-  
[runt,  
Aeraque sacra gemunt, lenesque sonare su-  
[surri  
Incipiunt, et « Ave », populus canit ore, « Ma-  
[ria ».  
Cuncta silent; gelidis iam nox circumvolat  
[umbbris,  
Ac rediens pastor modulatā arundine carmen,  
Dum querulo resonat cantu ranunculus agros.  
Ecce casas subeunt portantes rastra coloni:  
Villica ligna foco ponit, simul excitat ignem,  
Emollitque cibos, multa crepitante favilla:  
Agricolae coenant sublustri in nocte silentes,  
Vescuntur teneris herbis et pane secundo.  
Interea iudit legio puerilis in horto;  
Nunc volitat cita, nunc laeto clamore mōratur.  
Intrat anus casulam, pondusque reponit an-  
[hela,  
Iamque ciet tremulas admoto fomite flamas.

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

(Ad proximum numerum).

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO.

A